



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Venerabilis Thomæ A Kempis Can. Reg. S. Augustini. De Imitatione Christi Libri Quatuor

Thomas <von Kempen>

Augustæ Vindel., 1772

Caput XLV. Quod omnibus non est credendum: & de facili lapsu verborum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45780](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45780)

CAPUT XLV.

Quod omnibus non est credendum: &  
de facili lapsu verborum.

I. **D**a nobis auxilium Domine de  
tribulatione, quia vana salus  
hominis.

Quam sæpe ibi non inveni fidem,  
ubi me habere putavi?

Quoties etiam ibi reperi, ubi mi-  
nus præsumpsi?

Vana ergo spes in hominibus: sa-  
lus autem iustorum, in te Deus.

Benedictus sis Domine Deus meus  
in omnibus, quæ accidunt nobis.

Infirmi sumus & instabiles, cito  
fallimur & permutamur.

2. Quis est homo, qui ita caute  
& circumspecte in omnibus se cu-  
stodire valet, ut aliquando in ali-  
quam deceptionem vel perplexitatem  
non veniat?

Sed qui in te Domine confidit,  
ac simplici ex corde quærit, non  
tam facile labitur.



Et si inciderit in aliquam tribulationem, quocunque modo fuerit etiam implicatus, citius per te eruetur, aut a te consolabitur: quia tu non deseres in te sperantem usque in finem.

Rarus fidus amicus in cunctis amici perseverans pressuris.

Tu Domine, tu solus es fidelissimus in omnibus, & præter te non est talis alter.

3. O quam bene sapuit sancta illa anima, quæ dixit: Mens mea solidata est, & in Christo fundata.

Si ita mecum foret, non tam facile timor humanus me sollicitaret, nec verborum jacula moverent.

Quis omnia prævidere, quis præcavere futura mala sufficit? Si prævisa sæpe etiam lædunt, quid improvise, nisi graviter feriunt?

Sed quare mihi misero non melius providi? Cur etiam tam facile aliis credidi?

Sed homines sumus, nec aliud, quam



fragiles homines sumus, etiam si Angeli a multis æstimamur, & dicimur.

Cui credam Domine? cui, nisi tibi? Veritas es, quæ non fallis, nec falli potes.

Et rursus: *Omnis homo mendax, infirmus, instabilis & labilis maxime in verbis; ita ut statim vix credi debeat, quod rectum in facie sonare videtur.*

4. Quam prudenter præmonuisti, cavendum ab hominibus: & quia *inimici hominis domestici ejus: nec credendum, si quis dixerit; Ecce hic, aut ecce illic.*

Doctus sum damno meo, & utinam ad cautelam majorem, & non ad insipientiam mihi.

Cautus esto (ait quidam) cautus esto, serva apud te, quod dico. Et dum ego fileo, & absconditum credo, nec ille filere potest, quod filendum petiit, sed statim prodit me & se, & abiit.

Ab hujusmodi fabulis & incautis homi-



hominibus protege me Domine, ne in manus eorum incidam, nec unquam talia committam.

Verbum verum, & stabile da in os meum, & linguam callidam longe fac a me.

Quod pati nolo, omnimode cavere debeo.

5. O quam bonum & pacificum de aliis tacere, nec indifferenter omnia credere, neque de facili ulterius effari.

Paucis seipsum revelare; te semper inspectorem cordis quærere.

Nec omni vento verborum circumferri, sed omnia intima & externa secundum beneplacitum tuæ voluntatis optare perfici!

Quam tutum pro conservatione celestis gratiæ, humanam fugere apparentiam, nec appetere, quæ foris admirationem videntur præbere: sed ea tota sedulitate sectari, quæ vitæ emendationem dant & fervorem!

Quam



Quam multis nocuit virtus scita,  
ac præpropere laudata!

Quam sane profuit gratia silentio  
servata in hac fragili vita, quæ tota  
tentatio fertur & militia:

C A P U T XLVI.

*De confidentia in Deo habenda, quan-  
do insurgunt verborum jacula.*

I. **F**ili, sta firmiter, & spera in me.  
Quid enim sunt verba, nisi  
verba?

Per aerem volant, sed lapidem  
non lædunt.

Si reus es, cogita, quod liben-  
ter emendare te velis! si nihili tibi  
consciis es, pensa, quod velis li-  
benter pro Deo hoc sustinere.

Parum satis est, ut vel verba in-  
terdum sustineas, qui necdum for-  
tia verbera tolerare vales.

Et quare tam parva tibi ad cor  
transeunt, nisi quia adhuc carnalis  
es, & homines magis, quam oportet,  
attendis?

P 4

Nam